

# URATIO IN AUGURALIS

En la Sociedad  
Universitaria  
Centro de Almería

El Dr. Juan Ignacio Pérez Soler

D. JEMILIO XIMÉNEZ PÉREZ

AL/F.4-9

Excme. ac Ilme. Praesul.--Ornatissimi  
Magistri.--Robiles Ephiebi.

Omnia vincit amor. Qua enim nisi ardentissimi mei erga hoc Seminarium amoris vi unquam cogi potuissem, ut in tanta dicendi occasione et tot tantisque praestantissimis Magistris adstantibus, a quibus mea interest sapientiam ediscere, hanc inauguralem ausus fuisse proferre orationem? At nisi saxeum haberem cor, intellectu per difficile, imo et impossibile foret hoc D. Indaletii Seminarium amore non prosequi; nam si inter causas fontesque dilectionis potentiores praecipua numeratur continua et familiaris conversatio, quadragesimum est jam expletum annum, ex quo, sive ut discipulus sive ut magister licet indignus, indesinenter permansi hac in nobili domo, quam ut gentilitiam aestimo. Et quis suam propriam non diligit vitam? Si ergo mea hic fere tota erogata est et consumpta, nihil mirum quod maxime diligam, ubi maxime vixi. Quod si quis me increpitet inde, quasi nimis pigrum in acceptando et obeundo hoc inauguraliter sermocinandi munus, humiliter respondebo: num-

quam oneri tanto me parem invenisse, ob facultatum intellectualium imo et physicarum defectum, ad alicujus scientificae quaestitionis dilucidationem, sapientiae hujus magistrorum coetus dignam, ut iis in adjunctis de more est; et ideo silentio meam perpetuo texissem ignorantiam, nisi opportuna haec advenerit occasio aliter disserendi, recentiores videlicet sive materiales et literarios, sive disciplinares et morales hujus Seminarii reformationes et progressus leviter attingens ac laudans. Benignas patientesque tamen mihi praebete aures, quia nihil forte laude dignum, nec forma dicendi pulchrum, nec cogitandi subtilitate acutum, sed noevis referatum pluribus, mea quidem in oratione reperietis.

Hinc inde sententias, laudes et judicia seminariensis institutionis colligens, haec inter alia, scitissime dicta, reperi: «Frustra, queisdam oblatrantibus, Seminaria sunt quasi juge valdeque ferax Apostolorum Domini plantarium, unde velut e perenni coenaculo qui coelitus vocantur, divini armatura zelus armati, prodeunt ad evangelizandas omnes gentes: sunt coelestis quaedam fodina, non corruptilibus auro vel argento copiosa, sed praestantioribus certe divitiis, quae mirabili qualescumque humani cordis pellendi languores, vel quaecunque vulnera sanandi vi praeditae, divino dictae sunt *ore sul terrae*; sunt splendida pharus, qua extialibus ac nigris mundi tempestatibus acti; si as-

piciant, tutum possunt salutis appellere portum; ejus quippe in vertice summo, ceu divinitus accensa lucerna, quam nōmo ponit sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt, ingenti lumine micat *lux mundi*». En praclarum ac saluberrimum Seminariorum scopum. Seminaria igitur tum validissimum Ecclesiae munimen, tum plurimam quin attulerint civili societati salutem, solus inficias iverit ille, qui a nullo mereatur audi-ri. Hinc enim diserti templorum suggestibus oratores, hinc sancto judices tribunal, clericis clerica-lis vitae magistri, praecoptores tironibus, pagis oppidisque boni pastores, urbibus idonei parochi, hinc denique celsi dioecesibus antistites dati, qui populum christianum semper et ubique studiis, ac eloquentia collustrent, paterno amore prudentique sollicitudine regant, sacrorum ac virtutum exemplis refoveant». Jure meritoque in supremo nostro legislatorum coetu dici a quodam senatore potuit: «quod licet sacra illa sapientum, quae Tridenti, Sancto sub Spíitu, adunata noscitur acies, nullum aliud pro Dei gloria et societatis bono compleverit opus, praeter Seminariorum institutionem, immor-talem nihilominus apud omnes meruisse laudem, eulli prorsus cessuram aevo, nullis uspiam terrarum concludendam oris». Conciliari ejusmodi lege pri-mus in observanda hac in nostra dioecesi fuit Episcopus maxime celebratus D. D. Joannes de

Porto Carrero, qui propriis redditibus, anno 1610, hoc intra cujus septa loquimur nobile Seminarium feliciter a fundamentis erexit. Praeclara ejusmodi vestigia toto nisu semper insequuti fuere succesores in episcopatu, quos inter singulare merentur praecconium Ilmus. D. D. Franciscus Mier et Campillo ex antiquis, et ex recentioribus Ilmi. ac Rvni. Domini Josephus Orberá et Carrión, Dóminus Santos Zarate et Martinez et actualis noster dilectissimus Episcopus D. D. Vincentius Casanova et Marzol. Brevitati consulentes, postremum hunc tantum pontificatum attingemus, cui nullus non meritus honor, quia nihil in quocumque ordine intactum reliquerit ad veros utilesque in nostro Seminario reformationes et progressus promovendos. Et re quidem vera; ex quo Pastor noster vigilantissimus gregem suum regere coepit, nihil suo magis cordi fuit quam, omnia impedimenta auferens, quaecumque ad conservandum et augendum prius et sanctum Seminarii institutum pertinere videbuntur, diligenter curare, ut verbis utar quibus id injungit Episcopis Tridentinum. Sed quid agere oporteat ad saluberrimum Seminariorum scopum obtinendum? En norma ab ipsa Tridentina Synodo pracepta (1): «in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias Cathedrales, vel alio in loco convenienti ab Epis-

---

(1) Sess. XXIII, cap. 18 de Refor.

copo eligendo, pueros alere ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur». Prima ergo ac praecipua obligatio illorum quorum Seminariorum directio vel regimen interest, his complectitur verbis: «*religiose educare*»; nam si, ex S. Francisco Salesio, pietas et scientia oculorum instar sacerdoti esse debent, prima adhuc praeferrenda ac aestimanda tamquam dexter oculus.

Quisquis aliquas peragraverit dioeceses, hoc facile observare potuerit: ubi educatio Seminarii bonis firmata est exemplis, prudentibus reguata constitutionibus et frequentioribus pietatis operibus innixa, ibi erit clerus gloriae divinae cupidus, in salute animarum procuranda indefessus, polymitis effulgens virtutibus, praepositis subditus, patiens in laboribus, et ut verbis utar cuiusdam scriptoris ecclesiastici, «pius in judicio, justus in consilio, devotus in choro, stabilis in Ecclesia, sobrius in mensa, prudens in laetitia, purus in conscientia, assiduus in oratione, mitis in adversitate, lenis in prosperitate, expeditus in actibus, sapiens in sermone, verax in praedicatione». Ubi autem educatione non est nisi popularis et communis cum multitudine, ubi non est, ut ait Apostolus, «*virtute corroborata per spiritum in interiore hominem*»; ubi pietas vel devotio negligitur vel postponitur, ibi beneficia persequuntur, munera non adimplentur et saepe abundant «*inobedientes, vaniloqui et seductores...*

*quos oportet redargiri; qui universas domos subvertunt,  
docentes quae non oportet turpis lucri gratia».* (1).

His ductus considerationibus et executioni mandans illud Summi Pontificis Leonis XIII monitum: «Decet clericos vel a prima aetate jugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum, inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari», quamplurima noster Rymus praecepit Episcopus, quibuscum pietas aut promovetur, vel robatur et perficitur. Inde tot devotionis praxes quotidiana, vel hebdomadariae, vel menstruae aut annuae: inde spiritualis scholasticorum directio piissimo ac benemerito e Societate Jesu Patri commendata; inde frequentia inflexibilis severitatis exempla in poena expulsionis plectendis cum discolis, tum quacumque immoralitate foedatis: inde tot deliberationes, experimenta et studia, ut Seminarium optima ditetur vivendi norma seu probatissimis constitutionibus: inde Episcopus saepius visitando, operam dat ut ea omnia semper observentur, et opportuna et necessaria constituit, ut pueri in ea laboris, obedientiae et sacrificii vita instituantur, quam ducere tenetur bonus et exemplaris sacerdos.

Nec desunt hoc rejicientes regimen, ob hypocrisis periculum. *¡Vae hypocritis!* Eorumdem in

---

(1) Ad Tit. 1-10.

Seminariis praesentia semper evincet virtutem illic magni aestimari, et parum nocebit, si citissime ejiciantur quos vigilantia hoc invenerit execrabilis vitio foedatos.

Alterum, juxta Tridentinum, Seminariorum opus, his exprimitur verbis: «*Ecclesiasticis disciplinis instituere*». Non ideo in Seminario juvenes erudiiri debent in omnibus disciplinis et scientiarum generibus, etiam profanarum, sed in ecclesiasticis tantum et cum ipsis connexis: pravum enim est cuique sive rei, sive institutioni, sive personae, vel minimum a suo discedere fine: finis autem Seminariorum is est et non aliis, ut ministri Dei solide erudiantur ac rite praeparentur, qui aliquando sacra munia docendi, arguendi, sanctificandi in populis compleant. Gravior igitur proprii pensi nostris imminet sarcina, quam ut alienam superaddere liceat; ne utraque, sicut saepissime evenit, obruti, quassati succumbant. Nihilominus, vix aut ne vix erit scientia vel ars, quarum cognitio non sit impraesentiarum clericis necessaria.

Nemini latet Theologiam omnium esse scientiarum reginam et primum ac praecipuum in Seminariis locum obtinere, duasque in partes dispesci: aliam, expositivam, ad dogmata et evangelicam moralitatem fideles edocendos, idest, (i) «*exhortari*

---

(i) Ad Tit. cap. 1-9.

*In doctrina sana*, ut ait Apostolus: aliam polemicam, ad fidei hostes bello persequendum, eorumdem sophismata confutando, seu ut idem concludit Apostolus: «*et eos qui contradicunt arguere*». Et cum error novas incessanter induatur formas, mutationi etiam subjecta est Theologia polemica, quae iisdem uti indiget armis ab inimico inventis, ut unde sophisma oritur, oriatur solutio, et caput Goliath erroris proprio amputetur gladio.

Cum autem «*veritas Domini maneat in aeternum*», eadem semper est Theologia expositiva, et nullus in ea progressus esse potest, nisi ex aptiori ortus expositionis methodo, aut ex prudentiori rerum dicendarum electione, prout temporis et loci necessitas expostulet.

Nimis quidem molesta mea esset oratio, varias nunc referens vicissitudines, quibus, continentis saeculorum serie usque ad nos, expositiva subjecta est Theologia. Silentio igitur praeteriens quidquid dici posset de illis perpetuo celebrandis scholis sive episcopalibus, sive presbyteralibus et monasticis, sine quibus hodie antiquorum sapientia haud staret et penitus fuisset extincta, animo contemplemus saeculum XII, quo labente, ut ait S. Bernardus, perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini; Aristoteles Divo Augustino in scholis anteponitur; Philosophia incertis rationalismi sedibus vagans, in errores, nunc veluti novissimos,

grassantes, prolapsa est; litterarum studiosi, ab Horatii vino et Ovidii levitate crapulati, sanctorum deriserunt hymnos; artium chorus, suum ab idolis spiritum petens, sensuum corruperunt suavitatem et sublimen illam inspirationem, ab hodiernis etiam artificibus semper quidem miratam, nunquam vero imitatam; christiana spernebatur doctrina, et loco illius mythologia edocebatur, et etiam sacra sermocinatio ita vel Tullia aut Demosthenis imitationi se dedit, ut laudanda S. S. Patrum simplicitas plene oblivioni daretur.

Haec turbulentia et lugenda rerum omnium gentilium innovatio, quae usu apud omnes venit *renascientia* appellari, quaeque peperit recentiorem quam vocant *civilizationem*, nec subito, nec ubique nata fuit ac diffusa. Hoc exitiale monstruum aut intercluserunt, aut ejus impediere profectum S. Bernardus, S. Albertus Magnus, S. Bonaventura aliquique viri sanctitate et sapientia praeclari, quos inter tamquam in suo regno theologorum princeps *considit* Thomas, et solis instar inter stellas scholarum micat Angelus. Dissitis vero regionibus, etsi difficulter, conservatus pestiferus ille neopaganismus, schismatum orientis et occidentis ope, saeculo 16 ineunte, animos quamplurimos magna cum furia commovit, dum execrandus ille reformistarum pater et apostata monacus, Luterus, catholicae fidei regulam evertere et Apostolicam comminuere Sedem

pertentavit. At Deus, qui et mala permittens, remedia praebet, miras theologorum turmas eodem saeculo suscitavit; qui, Angelici Doctoris vestigia sectantes, religionis causam fortiter et sapienter egerunt, novas hostium copias profligando et colluviales eorumdem errores refellendo. Meminisse delectat ex nostra prodiisse Hispania praestantiores ac sapientiores illius saeculi theologos, ita ut si ex divino proverbio «Gloria filiorum patres eorum», máxima de patribus nobis sit causa gloriandi, qui mundum universum tunc temporis omnigenae eruditionis splendoribus illustrarunt. Utinam de coevis iisdem possemus affari paenonii!; nam, quamvis impraesentiarum nomina Casanova, Puig-Xarrié, Mendive, Casajoana, Vives, Fernandez, Castro, Sánchez, Muncunill, Blanch, Honorato del Val et alia nec pauca nec parum laudanda intellectualis activitatis exempla hispano in clero cernere juvat, maximo tamen nos a nostris distare majoribus intervallo, plura sunt quae nos, dolentes licet ac reluctantates, fateri constringunt. Ex quo enim Sanctissimus Noster Papa Leo 13 jussit Sacram Theologiam «mutiplici eruditionis adjumento juvari atque illustrari et gravi scholasticorum more necessario tractari», quam enixe simul exhortans universos catholici orbis Episcopos, ut «ad fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream Sancti Thomae

sapientiam studeant restituere et quam latissime propagare», nullus in Hispania editus fuit liber qui, tanto par oneri, in textuum Seminariorum album cooptari mereretur; et cum Theologiae compendium quod obscurantismi aetate *ad eruditionem incipientium* D. Thomas conscripsit, hoc in lumen saeculo cibus sit mentium tenuitati nimis nutritius ac pinguis, exteris opus fuit convenire scriptores, ut Mazzella, accuratius praelaudatis Summi Pastoris placitis haerentes, quibus ii qui in Ecclesiae spem succrescunt pollenti ac robusto doctrinae pabulo enutriantur et copioso armorum apparatu instruuntur ad hostium non pigram nequitiam et machinationes superandas, quibus nostra hac in tempestate christiana fides oppugnari solet. Utinam ne in posterum aliquid in libris exterorum ediscere cogamur, qui patribus gloriavimus Abulensi et Salmaticenstibus, Suarez ac Vazquez, Sanchez et Cano, aliisque sexcentis, et textuales Seminariorum libri ab hispanis auctoribus concinati in universis Hispaniarum dioecesibus usurpentur. Et dicta sufficient de scientiarum regina.

Quod scholasticam attinet Philosophiam, sine qua parum aut nihil proficitur in Sacrae Theologiae studio, temeritatis notam haud effugeret qui aliquid addere praesumpserit sapientissimi Christi Vicarii dictis, nam quidquid dicendum erat, universalis ille totius mundi Magister edixit in encyclica *Aeterni*

*Patris.* Nostrum aliud non est nisi jussa complere.

At vero primum locum inter studia Sacrae Theologiae praeporatoria, quasi praecelenti quodam, antiquo nec discutiendo jure, sibi reservat lingua latina, cuius praestantia sic a quibusdam celebratur scriptoribus. «Haec est enim cunctarum, quaecumque ore proferuntur humano, facile princeps. Haec sonoritate, dulcedine, majestate praestantior, nobilissima destinatione inenarrabiliter honoratur. Est enim idioma veritatis, lingua boni nuntii, lingua salutis, lingua Ecclesiae, verbo dicam, est lingua Christi. Hac, dilectissimi juvenes, coelestem doctrinam vobis comparabis, hac divinae sapientiae thesauros haurietis in gaudio de fontibus Salvatoris; hac poenitentibus fratribus Dei nomine, vice et auctoritate, peccata dimittebis; hac denique omnium sanctissima, quae sub coelo ac in ipso cœlo proferri possunt, verba proferetis, cum augustissima, tremenda, adoranda perfecturi eritis sacramenta». Máxima igitur animi contentione curandum, ut latinam omnes ediscant linguam, qua usi fuere S. Hieronymus, S. Gregorius, S. Leo, totaque scriptorum ac sapientum series christianam efformantium Patrologiam, quaque sacri canones et liturgia sunt conscripti: cognitio vero clasicae latinitatis auctorum paganorum, forma et materia longissime distantis ab Ecclesiae latinitate, solertioribus et optimis reservetur juvenibus.—Et cum agatur de

lingua et linguam nesciat qui extemplo, inopinaet et sine errore non loquitur, maxime proderit executioni mandare quod suis collegiatis sapientissime praecepit S. Carolus Borromeus: «Semper latine loquantur, excepto vespertino tempore post coenam, et die ad relaxandum animum assignato.» (1)

Harum summae cognitionum aliarum scientiarum sunt addendae notiones, quibus ad Philosophiam et Theologiam panditur aditus; aut quae non parum utilitatis afferunt ut earumdem comites et complementa; aut quae summopere necessaria putantur, ut digne societas cum modernae illustrationis cultoribus iniri queat; aut quae adolescentibus, specialibus praeditis facultatibus, gloriam et utile praestent ornamentum. Summa ergo injustitia est hanc probrosam institutioni seminariensi impingere injuriam, quasi illius semper fuerit et sit, sive oblivisci sive negligere in scientificis et humanioribus litteris progresus, qui fucoso illustrationis nomine venditantur. Nec aliter evenire poterat, postquam universalis christianorum Magister, omniumque Seminiorum Supremus Rector, Leo 13 his alloquutus est verbis: «Cum Ecclesiae ministris ea hodie institutione litteraria opus sit, et tam profunda lateque patenti eruditione sacra et profana, quanta umquam hactenus fortasse non

fuit necessaria; maxime momenti res est, ut juvenes in Seminario informati, exempla et vestigia insignium scriptorum sequuti, humaniorum litterarum studia excolant, et eleganter loquendi atque scribendi facultatem sibi conquirant».

Hac duce doctrina et his salutaribus innixus principiis, lectissimus noster Praesul studiorum hujus Seminarii rationen ordinavit ac praecepit, nullis parcens curis quoadusque omnes ac singuli Seminarii sodales vera cultura scientifica et litteraria praepolleant. Inde mira constantia qua Noster Antistes maximas dicat sui animi, consilii et vigilantiae partes Seminarii profectui, sive aptiores superiores et doctiores diligendo magistros; sive nobilem sciendi aemulationem quamplurimis inter alumnos stimulis ciendo; sive in oppidis dioecesis praecipuis regionales latinitatis scholas promovendo; sive scholasticas exercitationes et hebdomadas academias, majoribus nostris adeo familiares, perficiendo; sive acriores tironibus subdendo faces ad studia nedum latinitatis, Philosophiae et theologiae, earumdumque comitum, sed et linguae vernaculae, Grammaticam totam saepius quantum quisque indigeat evolvendo, decenter ac polite litteras efformandi arte exercendo; correcto ac decoro sermone hispano latinum in scriptis vertendo; clasicos demum nostrates prudenter imitando. Quid plura? Inde charitas inexhausta misericordis ac benignissi-

mi Episcopi nostri, qua tot in Seminario gratuito recipit ac cibat pueros, ut in memoriam etiam invite reddat percelebre multiplicationis panum evangelicum portentum, et qua nendum mentium sed et corporum sanitati consulens, eo dum a fundantis amplius ac perfectius erigatur Seminarium, id, penitus dirutum, utiliori recuperavit forma, in eo praesertim quod ad systema spectat cubiculum et sentinarum. Jure meritoque concludere possumus, zelosissimum nostrum Episcopum adamassim servare illud Tridentini praeceptum: «Episcopi omnia opportuna et necesaria ad felicem Seminarii profectum constituant, eaque ut semper observentur, operam dabunt».

Et dicta sufficient. Si vero quae per summantum capita raptim attingere potui, parum aut nihil prodesse judicentur, aemulanda honesti cuiusdam tranquillitate conquiescam, qui cum efficeret quantum poterat, fertur effecisse nihil.

Tib autem, Exme. ac Ilme. Domine, quem diu nobis, ad Seminarii instaurationem feliciter perficiendam, sospitem in columemque Deus servet, primum est, me libenter subjicere dicta, ut sapienti subditur discens; magistro discipulus, principi servus.

Vobis, praestantissimi magistri, inane foret, commendare quidquam, a quibus mea interest sumere exemplum.

Vos tandem, juvenes optimi, spes Matris Ecclesiae potissima, agite viribus, quatenus doctrinam de coelo allatam, plenissime, sicut tempora exposcunt, didicisse laetemini, illius nunquam immemores effati divini: «*Initium sapientiae timor Domini.*»

Nullis ergo parcite laboribus. Coelestis Magistri scholae, tamquam totidem apostoli feliciter asciti, procul segnitem, procul abigite quālibet pigrae umbram ignaviae. Qui nos docere misit, prior Ipse nos docuit, et *declaratio sermonum ejus illuminat et intellectum dat parvulis*, cui praeterea servire regnare est. Ei Domino laboramus, qui fideles servos nulla scit fraudare mercede, et si modo super pauca fideles simus, cito nos super multa constituet, ac ineffabili suavitate nobis gratulabitur dicens: «*Euge, serve bone,... intra in gaudium Domini tui.*»

Dixi.

A. M. D. G.



